EPITOME COLLOQVIORVM

Erasmi, continens in se communiores quotidiani sermonis formulas, nunc denuo in puerorum usum editas.

3 P. 2
1075. h

LONDINI,
Excudebat Johannes Harison.
Impensis Roberti Dexter
1602.
Cum priuilegio Regiæ Maiestatis

Hexasticon ad pueros.

Heus puer, ingenuis mentem virtutibus orna,
Imbutus discas verba latina loqui.
Crede mihi haud pulchro radiantes gemmulæ in auro,
Splendida nec byssus, pupureæue togæ,
Ingenium exornant puerum, quantum inclyta virtus
Ingens quam sequitur gloria, fama, decus.

Accessere

Precatio dicenda cum mane surgitur.
Precatio ante cibum sumendum.
Benedictio mensæ ante degustationem.

Græce & latine.

Gratiarum actio mensæ, Græcè & Latinè
Precatio post cibum.
Precatio dum itur cubitum.
Pro docilitate.
Pro docilitate pietatis, ex Psalm.
Comœdia quædam Ioan. Textoris.
Dialogus Pueri & Præceptoris.
Decem Dei verba, sive præcepta.
Ad virtutis studium adhortatio.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

EPITOME COLLO
QVIORVM.

Ex proœmio præcepta.

On temere docet quidam, vt ſalutemus libenter, Comis enim & blanda ſalutatio, ſæpe conciliat amicitiam, inimicitiã diluit, certe mutuã beneuolentiam alit augetque.

Vrbanitatis eſt, ſalutare ob uios, aut eos qui nos adeũt, aut quos adimus ipſi olloquẽdi gratia. Itẽ operis aliquid agentes, cœãtes, oſcitãtes, ſingultiẽtes, ſternutãtes, tuſſiẽtes. In ructu, crepitu ue ventris ſalutare, hominis eſt lus ſatis vrbani. Sed inciuilius etiam eum ſalutare ui reddit vtinam, aut exonerat aluum.

Vrbanum eſt addere cognationis, & affinitatis tĩ lũ, niſi cũ habeant aliquid odij: tũ enim præſtat uti plauſibilioribus: vt pro nouerca, matri, pro riuigno fili: pro caligarei, calciarie vir honerande Senes, ignotos adoleſcentes, filiorum cognoẽto ſalutant. Adoleſcentes, viciſſim illos, aut paes, aut dominos.

Salutandi formula in primo congreſſu.

alue pater amantiſſime.

alue mea matercula. Salue mi frater.

alue præceptor obſeruande.

alue condiſcipule. Saluus ſis.

alue plurimum amicorum optime.

Salue vir ornatissime, spectatissime.
Saluete pariter omnes.
Saluete quotquot adestis, vna saluete omnes.
Salue cõgerro lepidissime. Saluete belli homũcu
Saluete iterum atque iterum.
Salueto ancillula, annos natã quindecim.
Salue puella, annorum octoginta.
Saluere te iubeo. Salutem tibi precor.

Responsio.

Et tu salue. Saluus sis tu quoque.
Et tu tantundem Nicolae. Et tu salue perpetuum
Salue tantundem, mi Petre. Idem tibi precor.

Bene precandi formulæ.

Et bene precari salutationis genus est.

Conuiuis.

Sit fælix conuiuium. Bene sit vniuerso cœtui.
Precor omnia læta omnibus vobis.
Deus bene fortun et vestrum conuiuium.

Sternutanti.

Sit faustum ac fœlix. Seruet te Deus.
Sit salutiferum. Bene vertat Deus.

Auspicanti quippiam.

Sit fœlix & faustum reipublicæ.
Bono sit omnibus, quod instituis.
Bene vertat Deus, quod agis
Bene fortunet Christus optimus maximus, quo
in manibus est
Faueant Superi tuis conatibus.

Fœlicit

Fœliciter cedat, quod instituisti.
Prospere succedat, quod auspicatus es.
Bonis auibus cæpta res, melioribus exeat.

Proficiscenti cuipiam.

Precor vt bonis auibus hinc abeas, melioribus redeas.
Opto tibi fœlicem cursum, & recursum fœliciorem.
Sit iter lætum, redeas lætior.
Bonis auspicijs soluas anchoram.
Vtinam ista profectio succedat tibi ex animi sententia.
Sospitet te Iesus optimus maximus.
Superi propitij, te nobis incolumem restituant.
Seruet te Deus, animæ meæ dimidium.
Opto tibi redditum incolumem.

Responsio.

Maximas tibi gratias ago. Præcor tibi vicissim omnia læta.
Seruet te Deus interim quoque incolumem.
Faxit Deus, vt omnia vtrique cedant ex sententia.

Valedicendi.

Bene vale. Valete omnes.
Cura vt quam rectissime valeas.
Valetudinem tuam cura diligenter.
Vale quam optime. Vale in crastinum.
In hoc biduum vale.
Cura, vt sit mens sana in corpore sano.

Responsio.

Dabitur quidem opera.

Valebis tu quoque. Et tu valeas.
Tibi viciſſim precor proſperam valetudinem.
Faxint ſuperi vt aliquando rediens incolumis, vos
incolumes offendam.
Quò tu nunc abis? Quo vadis?
Quò noſter Leonarde? Quo te confers?
Quo nunc te proripit ille?
Quo te Mere pedes? Quo properas?
Quonam hinc abiturus es? Quo nunc iter eſt?

Reſponſio.

Confero me domum.
Recipio me in patriam. Eo in ſcholam.
Ibo hinc ad forum, empturus panem, papirum.
Rus hinc concedo.
Eo ad macellum, allaturus obſonia.
Ex conſilio parentum meorum Witenberga pro-
ficiſcor, ad ampliorē ingenii cultum capiendum
Propediem vt à patre, percepi, hinc abiturus ſum
Commigraturus ſum Norinbergam, Baſileam,
Lutetiam.

Salutare per Alium.

Frobenium iubebis meo nomine ſaluere.
Eraſmiolum mea cauſa ſalutabis diligenter.
Matri, qnam potes officiociſſime, ex me ſalutem
dicito.
Dic me omnibus omnia læta precari.
Salutabis mihi ſodalitatem diligenter.
Amicos omnes meis verbis, ſalutato,

Fran

Fratri ex me ſalutem dicito.
Salutes omnes qui te me percontabuntur.

Reſponſio.

Faciam diligenter ac ſedulo. Curabo. Fiet.
Dabo operam. Effectum reddam. Curabitur.

Bene precandi contrahenti.

Precor vt hic contractus commodo honoque ſit vtrique.
Precor vt hoc matrimonium voluptati ſit omnibus nobis.
Vtrique veſtrum fauſtum, fœlixque ſit precor. Adſit Deus

In noui anni initio.

Precor vt hic annus tibi lætis auſpicijs ineat, lætioribus procedat, lætiſſimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper fœlicior.

In exortu diei.

Precor vt hic dies tibi candidus illuxerit.
Precor, vt hic ſol fœlix ſurrexerit.
Sit fœlix exortus diei. Bonus dies.
Opto tibi bonum diem. Proſper ſit tibi hic dies.

Reſponſio.

Sit vtrique noſtrum proſperrimus.
Habeo gratiam. Idem tibi re precor.
Gratia Deo.
Ego tibi viciſſim, multa ſecula fœlciſſima precor.
Amo te. Amandus es.
Cupio quæ vis omnia. Benigne

Benigne dicis. Comes es.

Instante nocte.

Opto tibi noctem prosperam.
Precor tibi noctem placidam.
Contingat tibi fœlix somnus.
Det tibi Deus placidam quietem.
Sit tibi fausta nox. Faustam degas noctem.

Responsio.

At ego tibi pro vna fausta, mille precor faustissimas.
Tantundem tibi precor.
Tibi vicissim precor quietem placidam.

Formula petendi quippiam à Præceptore.

Obseruande Præceptor, liceat mihi pace tua hoc die abesse schola.

Amantissime Preceptor, fac mihi potestatem abeundi domum.

Liceat mihi permissu tuo exire, ad exonerandū aluum.

Fac mihi copiā exeundi, vt reddā vrinam. Liceat mihi permissu tuo exire, ad exonerandā vesicam.

Precor, vt sit mihi facultas hoc die laborandi in agro, prato.

Abeundum est mihi rus, ex iussu parentis: precor vt id fiat pace tua.

Auocor hinc, præceptor obseruandissime, scriptis parentum meorum literis: eam ob rem quam possum amanter te oro, vt hinc migrandi potestatem

statem mihi concedas.

Quod me primum in tuã disciplinam humanissime recipere dignatus es, deinde quod scholæ tuæ sectator fui, & fideliter & accurate, tam litteris bonis quam rectis moribus exolire studuisti, gratias tibi immortales ago.

Humanissime vir, ego a parentibus meis missus, & ludi tui fama excitus, huc appuli, vberiorem ingenioli mei eruditionem comparandam: quare tuam humanitatẽ amanter rogo, vt me in tuorũ gregẽ recipere digneris, Do fidem, me in omnibus quod rectũ erit, quodque tu iusseris, facturum.

Infantuli dicunt.

Præceptor, peto veniam eundi { domum, emptum papyrum, panem, cacatum, mictum.

Excipiendi formula reducem.

Gratulor tibi aduentum.
Bene factum quod venisti.
Aduentus tuus saluus, est mihi gratissimus.
Sãluũ te aduenisse gaudeo. Gaudeo te aduenisse.
Gratulor mihi quod aduenisti.
Sospitem te adesse voluptati est.
Gratulamur tibi fœlicem reditum.
Gratias tibi ago. Habeo tibi gratiam.

Ego vicissim lætor, quod incolumis. vos incolumes offẽderim. Gaudeo quoq. me saluũ inuenire te. Aspectus tuus incolumis, vicissim mihi iucundissimus est.

PRE-

PERCONTANDI FORMA

in primo congressu.

Georgius. Linius.

G. Ex qua tandem corte, aut cauea nobis ades? L. Quid ita? G. Quid male saginatus. Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis? L. E collegio montis acuti. G. Ergo ades nobis o nustus literis. L. Imo pediculis. G. Pulchre comitatus aduenis. L. Sane nec tutum est nunc viatorē ire in comitatum. G. Agnosco sodalitium scholasticum. Ecquid nouarum rerum adfers e Lutetia? L. Illud in primis, quod scio tibi videbitur incredibile. Lutetiæ Beta sapit. & Quertus concionatur. G. Quid tu narras? L. Hoc quod ādis. G. Quid ego audio? L. Hoc quod narro. Monstri simile. Oportet illic fungos & lapides esse auditores, vbi tales concionentur. L: Atqui sic res habet. Non audita narro, sed comperta. G. Oportet illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus. L. Recte coniectas. G. Valesne? L. Contemplare vultum. G. Quin magis lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo quid valeas (nam facies loquitur te belle valere) sed quo modo tibi placeas. L. Corpus quidem belle habet, sed animo male est. G. At non valet, qui istac parte laborat. L. Sic res habent meæ. corpus valet, sed ægrotat crumena. G. Facile isti morbo medebitur mater.

Percontandi de valetudine Formula.

Vt

Vt valuisti vsque? Quomodo tandem vales? vt vales? Quomodo tecum agitur? Satin recte vales? Vt se res habent tuæ? Saluane res? Satin salua res Quid fit? Quid agitur? Fuistine sẽper prospera valetudine? Valuisti ex sententia Ecquid vales?.

Dei gratia bene valeo. Fœliciter valeo.

Optime valeo, belle, recte, gratia superis.

Ego Dei beneficio perpetuo bellissime valui.

Semper prospera vsus sum valetudine.

Hactenus bona valetudine fui.

Varie, vt sunt res mortalium.

Prosperrima, fausta, incolumi, fœlici,

Secunda, prospera, integra, Basilica, Athletica,

Pancratica, semper fui valetudine.

Gratulatio de bona valetudine.

Liuius. Georgius.

L. Faxint Superi, vt istuc sit perpetuũ ac proprium

Lætus istuc audio.

Voluptatem mihi nuntias.

Est istuc mihi auditu perquam iucundum.

Sermonem istum audire ex te vehemẽter gaudeo

Istuc haud inuitus audio.

Oppido lætor istuc audire ex te.

Vt idem semper facias opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo.

Gratia Superis. Gratiam habeo superis.

Alia.

G. Quo pacto vales?

Responsio.

L. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellissime, Perpulchre, fœliciter, commode, minime, male. Ex animi sententia.
Valeo vt volo, potius quam vt mereor.
Basilice. Pancratice, Athletice. G. Expectabam, vt diceres etiam taurice. Quid fit?
Quid agitur? L. Equidem nihil ago.
Otium ago.
Id quod vides ago, nempe nihil.
Sedetur, statur, legitur, scribitur,
Nihil fit, parum agitur.

Male valendi formulæ.

Non admodum ex sententia valeo.
Vtcunque valeo. Sic satis.
Vt possum, quando vt volo non licet.
Vt soleo. Ita vt superis visum est. Secus quã vellem
Vt solent, quibuscum medicis res est.

Haud sane commoda sum valetudine: incommoda, perquam incommoda, infœlici, aduersa, parum prospera, parum secunda, mala, infausta imbecilli, dubia, mediocri, alia quam vellem.
Qualem opto hostibus meis.

Condolendi formulæ

Rem mihi sane quam acerbam narras
Vehementer doleo vicem tuam.
Dolet mihi infortunium tuum.
Sane inuitus istuc ex te audio.

Prohibeant

Prohibeant superi, auertat deus.
Bona verba quæso. Hic cupiam te vanum esse.

Consolandi formulæ.

Bono sis animo oportet.
Fortis infractoque sis animo.
Quando superis ita visum est, æquo animo ferendum quod sors fert.
Ferendum est, non culpandum, quod mutari non potest.
Fulciendus interim est animus spe melioris fortunæ.
Multum iuuat animus, in re mala, bonus.

Quid morbi est? Formulæ.

Quod mali genus est? Quis te morbus habet?
Quo morbo teneris? Quid morbi est?
Quid habes morbi?
Quis te tenet morbus? Num est hydrops?
Num dysenteria? Num febris?
Ad sanitatem gradus est, nouisse morbum.

Responsio.

Nescio, & hoc laboro periculosius.
Negant esse febrim. Non est hydrops
Opinor esse febris speciem.

De morbo latius percontandi formulæ.

Quam pridem te habet hoc mali?
Diu est quod teneris isto morbo? Quantum temporis est, quod te hoc malum corripuit?
Quandiu laborasti illo morbo?
Quanto die recurrit dolor?

Responsio.

Responsio.

Dies plus minus viginti. Ferme mensis est.
Iam tertius mensis est Mihi seculum videtur.
Quotidie recurrit. Sæpius quam Euripus.

Vnde contraxisti.

Vnde suspicaris hoc collectum esse mali?
Qua ex causa arbitraris te in illum incidisse morbum?
Vnde illum ortum tibi esse morbum censes?

Responsio.

Ex inedia. E frigore natum arbitror.
Et putridis ouis morbum ortum suspicor.
E vino plus satis diluto.
E crudis malis, contracta est stomachi cruditas.
Ex potatione longiore.
Ex immodico & intempestiuo studio, hoc concilia atum videtur morbi?

C. Quin accersis medicum? L. Timeo ne citius morbum auget, quam adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. G. Diligendus est igitur cui tuto fidas. L. Si moriendum est, malo semel mori, quam tot pharmacis excarnificari. G. Fac igitur vt ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, precor, vt sit tibi medici vice Deus. Nullosne consuluisti medicos? L. Equidem permultos. G. Quid respondent? L. Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum. Alius negat, alius ait, alius deliberandum censet, in hoc consentiunt

unt omnes me miſerum eſſe. G. Soſpitet te Chriſtus Optimus Maximus Precor, vt diuina beneficentia, nobis quam primum reſtituaris incolumis. Faxint ſuperi, vt priſtinam recipias valetudinem quam celerrime, Commendo te Chriſto medicorum optimo vt quam primũ conualeſcas. Iam me tempus alio vocat, vale quam optime.

De conuiuis inuitandis.

Pet. *Chriſtoph.*

P. Cœnabis hodie domi? C. Foris cœnaturus ſum. Foris Cœnandum eſt mihi. P. Apud quem C. Apud ſocerum meum. Apud generum meum nurum meam, apud affinem meum. P. In craſtinum te ad cœnam voco. Cras vt mecum cœnes oro. Cras mecum prandeas rogo, Cras te conuiuam mihi volo. C. At vereor ne non licuerit. Vt poſſim metuo, Veniam. ſi quidem licebit, aut metuo ne non queam. P. Cur non licebit? qui ſic, quid ita? quamobrem? quo pacto? quid cauſæ? quid obſtiterit, quo minus poſſis? C. Tum quidem domi manendum mihi eſt. Vt domi nocte ſim neceſſe eſt. Tum certe, foris eſſe non licet. Cras mihi quoquam ire foras, liberum non erit. P. Vel perinde apud me ſis oportet. Saltem perendino die, ad cœnam venias neceſſe eſt. Quarto ab hinc die non grauaberis te mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo, non potes effugere quin venias. C. Promittere certe nequeo. Veniam vbi

vtrique

vtrique noſtrum videbitur commodiſſimum. Ve
niam quidem, at hac lege, ut tu poſtridie eius d
viciſſim apud me cœnes. Faciam eo quidē pacto
vt tu deinde mihi quoq, ſis conuiua. Spondeo fu
turum. Recipio me facturum. Do fidem futurum
hac quidem conditione, vt tu mecum poſtridi
prandeas. P. Age, fiat, eſto. Sit ita vt vis. Si iube
faciam. C. Ego inſtructus accedam. Ego muni
tus veniam, inſtructus multa fame accedam, tu vi
de vt vulturem expleueris. Parabo ventrem ac
dentes exacuam: tu vide, quibus modis lupum
exſatures. P. Age, ad hoc certamen te prouoco.
Age, fac pro viribus, pro virili, ſi quid potes. C. Ve
niam, ſed non incomitatus. P. Tanto venies gra
or, ſed quo comite venies? C. Vmbra. P. Nec lo
cus poſſis ſi modo luce venias: C. Sed vmbram
adducturus ſum dentatam, vnam atque alteram,
ne tu me vocaris impune. P. Age, vt libet, modo
ne laruas adducas. Sed explana ſi libet, quid ſibi
velit vmbræ vocabulum? C. Apud eruditos,
Vmbræ vocantur, qui ipſi non vocati, comi
tantur eum qui vocatus eſt ad conuiuium. P. Tali
um vmbrarum adduc, quantum voles. Age, at ca
ue ne me luſeris. Caue fallas. Caue ſpem fruſtra
foueam. Caue mihi verba dederis. Vide ne me va
na ſpe lactes. C. Nihil opus iureiurando: in cæte
ris, in alijs time perfidiam, hac in re non fallam.
Sed heus tu, caue ne quidquam praueris, præter

quotidiana

quotidiana. Mea causa diem festum nolo. Scio me conuiuam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim, me conuiuam non multi cibi, sed ioci plurimi. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica cœna accipiam, aut fortasse frugaliore. C. Imo Diogenica, si me delectare voles. P. Certe Platonica cœna te accipiam, in qua multum sit litteratarum fabularum, cibi minimum: cuius voluptas, duret etiam in posterum diem. C. Placet, fiat vt mones. P. Tu vide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas. C. Ita fiet: exporrigemus frontem: Bellos homũculos agemus. Ridebimus affatim, curabimus cutem, indulgebimus genio, Epicureos agemus. Vocabis me puerum tuum. Vbi voles, domi ero. Bene vale.

De cultu corporis, versiculi ex Ouidio.

Munditiæ placeant, fulgentur corpora campo
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguaque nec rigeat: careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineat, & sint sine sordibus vngues:
Inque cauo nullus stet tibi nare pilus.
Carpe cibos digitis, est quidem gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Néue diu præsume dapes, sed desine citra

Quam cupias, paulo quam minus esse potes.

Precatio quum mane surrexeris, dicenda, post confessionem peccatorum.

Quandoquidem tu Cœlestis Pater, tum in cœlis tum in terris, vnus ille omnipotiens Deus vbique gentium & locorū es, & vsque permanebis. Te ex animo supplicissime precor, ne sinas vt in meā, neque vt aliorum credentes in suam voluntatē, hunc diem conuertamus, neque vt ad prauum arbitrium nostrum prolabamur. Sed potius paternam tuam voluntatem, æternum consilium verbum illud tuum salutiferum, tuumque bene placitum, recte intueamur, & veraci corde perficiamus: quó nomen diuinum per nos miseros peccatores, nunc & semper sanctificetur, per filium tuum Iesum Christium, Amen.

Cura, & mores mensæ.

Puer insterne mensam, est enim tempus prandij vel prandio. Hora est cœnandi, vel cœnæ.

Expande igitur primum in mensa mappā mensalem.

Hinc panes mensæ imponito. Postea affer orbes.

Porrige cultros.

Appone salinum & corbem cochleariam.

Apta ciculum, Elue calices.

Da mappas manuarias: & in patinis aquam recentem, ad lauandas manus.

Aut ministra aquam ex gutto, linteo ex humero suspenso, dum omnes lauarint.

Hinc discūbentibus conuiuis, affer è culina epulas.

Appositis

Appoſito cibo ſtans verecunde & honeſte, complicatis manibus ante menſam fungere tuo officio & conſecra cœnam vel prandium.

Precatio ante cibum ſumendum.

Nos miſeri egentes homines pro hoc cibo, quem nobis ad alimoniam corporis ſanctificatum, es largitus vt eo vtamur gratis, tibi Deus omnipotens, Pater cœleſtis, gratias reuerenter agimus. Simul obſecrantes vt cibum angelorum, verum panem cœleſtem, verbum Dei aeternum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum nobis impertiaris, vt illo mens noſtra paſcatur, & per carnem, & ſanguinem eius foueamur, alamur & corroboremur, Amen.

Conſecratio menſæ.

His epulis, doniſque tuis, benedicito Chriſte:
Vt foueant iuſſu corpora feſſa tuo.
Non alit in fragili panis modo corpore vitam:
Sermo tuus vitæ tempora longa facit.

Alia ex Pſal.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam ipſorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

Oremus.

Benedic nos domine deus pater noſter cœleſtis, & hæc dona quæ de tua largitate ſumimus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Alia Eraſmi.

Quicquid appositum est, & quicquid appon[illegible] fœlix & sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pa[illegible] cit vniuersa Amen.

Alia Hermanni Buschij.

Quæ nunc sumemus membris alimenta caducis,
Hæc Deus, imperio, sint benedicta, tuo.

Ευλογία τῆς τραπέζης πρὸ τοῦ γεύσασθαι.

Χριστὶ ὁ θεὸς, εὐλόγησον τὴν βρῶσιν καὶ τὴν πόσιν τῶν δουλῶν σ[illegible] ἁγιόσει πάντοτε, νυν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Benedictio mensæ ante degustationem,

Christe Deus benedic cibum & potum seruor[illegible] tuorum, quoniam sanctus es iugiter, nunc & semp[illegible] & in secula, &c.

Post hæc, si ministerio tuo opus est, fac sedul[illegible] sis apud mensam. Erectus & verecundus ad me[illegible] sam stato. Vultu modesto, non impudice [illegible] mensam versato. Oculos non hinc inde conijci[illegible] sed mensæ aduertito, diligenter animaduertito, quid desit in mensa. Vtpote panis, potus, epul[illegible] orbes, quadræ, Si quid erit adferendum, id expe[illegible] ditius agas, ne moreris eundo. Breuiter ad omn[illegible] promptus, facilis, hilaris, & paratus esto.

Vbi vero ministerio tuo opus non fuerit, & di[illegible] cumbendum tibi sit. fac primum:

Vngues purgatas habeas: Hinc manus laues.
Post consecrationē autē, mensæ decenter accūb[illegible]
Erectus sede. Cubito ne te fulcias.
Nec pandas brachia. Primus ne esto esu.
Cibos cape digitis, nec conde vola.

Proxim[illegible]

Proxima tibi cape. In orbe ne motare. Nec manducande auide.
Nec primus bibe. Nec bibe auide.
Bibiturus os terge: non manu ſed mappula.
Alios ne inſpicito. Morſa ne redintinge.
Nec linge digitos. Nec oſſa rode.
Quæque ſcinde cultro.
Os non perungas Digitos ſæpe terge.
Nares ne fode. Non rogatus tace.
Quod ſatis eſt, ede. Quum ſatur es, ſurge.
Rurſus manus laua. Menſalia tolle.
Reliquias, & fragmenta, diligenter collige.
Quæque in ſuum locum repone. Hinc Deo gratias age.

Gratiarum actio poſt menſam.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remota
Dicemus grates nos tibi, ſumme Pater.
Non hæc, humanas vires alimenta iuuabunt,
Diuina, ſi non hæc foueantur ope
Namque tuo viuunt agitata á numine cuncta,
Afflatu ſpirant cuncta valentque tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta miniſtra,
Atque immortali pectora paſce cibo
Et qui cura ſuus tua, nos, pater optime, ſerua.
Et ſtudij & vitæ tempora cuncta rege.
Quumque epulas dederis rerum pater optime, nobis,
Adde epulis vires, pro bonitate tua.

Alia ex Pſalm.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in aeternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino, super timentes eum et in eis, qui sperant super misericordiam eius. Gloria patri. Sicut erat, &c Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster, &c.

Gratias agimus tibi Domine Deus, pater noster Cœlestis, Per Iesum Christum Dominum nostrum pro vniuersis donis ac beneficijs tuis, qui vivis, & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Alia.

Qui nos creauit, redemit, et pauit, benedictus sit in aternum, Amen.

Alia.

Quod sumus, vtilibus dapibus, potuque refecti, Laus tibi pro donis sit, deus, alme tuis.

Εὐχαριστία τῆ τραπέζης.

Εὐχαριστοῦμέν σοὶ παντοκράτωρ θεὲ, ὑπὲρ πάντων τῶν ἐυεργεσιῶν σου, ὅτι ζῆς καὶ βασιλέυεις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Gratiarum actio mensæ

Gratias agimus tibi omnipotens Deus, pro omnibus beneficijs tuis, qui viuis et regnas in secula seculorum. Amen.

Post cibum precatio.

Quando quidem nos, Domine, donis tuis, omnipotens, et misericors deus, exatiasti: effice vt post hæc

qui

quod per nos fieri, aut secus velis, diligenter obser-
uemus, atque illud animo sincero effectum præstemus
Per Iesum Christum, Amen.

Quum adfers potum, consecra formula.

Ecce vinum, hoc vinum vobis fauſtum ſit.

Hoc uinum læti bibite. Ceruiſia hæc ſalui ſit vobis omnibus, bono ſit potus iſte.

Reſponſio.

Agimus tibi gratias. Gratia Deo. Adſit Deus.

Propinandi formula.

Ebibitis ordine ſuum quiſque calicem.

Ego tibi hoc primum propino, Mida.

Tu deinde cæteris propina. Præbibo tibi dimidiatum cyathum.

Reſponſio.

Accipio abs te libenter. Equidem nihil recuſabo. Proſit tibi. Nil tua cauſa recuſabo.

Sit ſaluti. Precor vt ſit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum.

Gratias agendi conuiuis formula.

Habeo vobis hoſpites cādidiſſimi gratiam qui ad hoc conuiuiolum venire dignati ſitis. Gratiam habeo qui dignatus ſis noſtro adeſſe conuiuio. Ego habeo vobis gratiam, quod noſtram exilitatem boni conſulitis.

Reſponſio.

Ego pariter tibi, & meo & aliorum nomine gratias ago, quod tua humanitate, ad hoc conui-

lium longe suauissimum, nos vocaris.

Valete sodales optimi. Bibite, non segniter, & viuite suauiter.

Præcatio dum abis cubitum.

Tibi, Domine Deus, animum ac vitam meam commendo, vt in Christo qui est vita, & resurrectio nostra ab æterna morte me defendas, atque vt ipse qui vera lux est, splendorem gratiæ suæ, in corda nostra tenebrosa profundat. Amen.

Pro docilitate.

Audi preces meas, æterna patris sapientia, Domine Iesu, qui tenera ætati docilitatis commodum addidisti. Adde quæso ad naturæ propensionem auxilium gratiæ tuæ, vt literas, ac liberales disciplinas citius perdiscam, sed tuæ gloriæ seruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse, fœlicitatis humanæ summa est, vtque ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum, indies proficiam ætate, sapientia, & gratia apud Deum, & apud homines. Qui viuis & regnas in consortio Patris ac Spiritus Sancti, in æterna secula. Amen.

Pro docilitate pietatis.

Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum Domine vt discam mandata tua. Quoniã lex tua immaculata conuertens animas, sapientiam præstans paruulis, Iustitiæ tuæ recta lætificantes corda. Præceptum tuum lucidum, illuminans oculos. Declaratio sermonum tuorum illuminat, intellectum dat paruulis. Quoniam

tu

in domine das ſapientiam, & ex ore tuo prudentia & ſapientia.

Percontandi reducem formulæ.

Geor. Linimus.

G. Fuitne hoc iter tibi fauſtum & commodum? L. Sic ſatis, niſi quod nihil vſquam tutum eſt a latronibus. G Hic eſt belli ludus. L. Eſt, ſed ſcelera tiſſimus. G. Pedes aduenis, an eques? L. partim pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim nauigio. G. Tuæ res quo tandem in ſtatu ſunt L. In optimo, fœlici, mediocri, tolerabili. G. Quo pacto ſe res habent tuæ? Num ex voto? L. Imo ſupra votum, ſupra meritum, ſupra ſpem. G. Satin, ex ſententia? Satin ſalua omnia? Satiſne proſpera omnia? L. Res in peiore ſtatu eſſe non poteſt. Peiore in loco, negotium non poteſt eſſe. G. Non cepiſti igitur quod captabas? Non contingit præda quam venabaris? L. Venabar equidem, ſed irata Delia. G. Nihil reliquum eſt ſpei? L. ſpei permultum, ſed rei nihil. G. Epiſcopus nihil oſtendit ſpei? L. Tota plauſtra, totas naues, ſed preterea nihil. G. Nihil adhuc miſit? L. Promiſit quidē largiter, ſed ne teruntium quidē miſit. C. Ergo ſpe alendus eſt animus. L. Sed hac non ſaginatur venter qui ſpe alūtur, pendent non viuunt. Sed hoc eras ad iter expeditior, quod nihil eſſet oneris in zona. Lin. Fateor atque etiam tutior. Nulla enim ſunt arma certiora, aduerſus latrones.

Sed

Sed ego malim,& onus,& periculum. G. Nihilne tibi adēptum eſt in via? Liu. Mihine? Quid quæſo eripias nudo? alijs citius periculum erat a me. Licuit mihi vacuo viatori per totum iter canere & eſurire. Num quid vis G. Quo nunc hinc abis? L. Recta domum: ſalutaturus penates, iam diu non viſos. G. Precor, vt illic omnia offendas læta. L. V. tinam velint Superi.

Alia Perſonæ

Mauritius. Cyprianus.

M. Rediiſti nobis obeſior ſolito. Redijſti procerior. Cy. At equidem mallem prudentior, aut doctior. Mau. Imberbis abieras, redijſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens nonnihil ſenii. Quid ſibi vult hic pallor? Quid macies? Quid frons caperata? Cypr. Vt eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus. M. Num ad aduerſa? C. Nunquam quidē mihi alias ſecunda, ſed nunquam quam nunc odioſus reflauit. M. Doleo vicem tuam, dolet mihi tua calamitas. Sed quid iſtuc mali eſt? C. Vniuerſæ pecuniæ naufragium feci. M. In mari. C. Non, ſed in littore nondum nauem ingreſſus. M. Vbinam? C. littore Britannico. M. Bene habet, quod ipſe nobis viuus enataſti. Præſtat pecuniæ iacturam facere quam vitæ. Leuius eſt pecuniæ diſpendium quam famæ. C. Vita famaque incolumi, periit pecunia. M. Vita ſarciri nullo pacto poteſt, fama ægre poteſt, pecunia facile alicunde ſarcietur.

Qui

Qui malum hoc accidit? C. Nescio, nisi quod sic erat in fatis meis. Sic visum est superis. Sic libuit Genio meo malo. M. Vides igitur, doctrinam ac virtutem tutissimas esse diuitias quæ nec eripi possunt, nec grauant circumferentem. C. Pulchre tu quidem philosopharis, sed interim ego ringor.

Alia. Personæ.

Clandius. *Balbus.*

C. Gratulor tibi reduci Balbe. B. Et ego tibi superstiti Claudi. C. Gratulor tibi in patriam reuerso. B. Imo gratulare magis e Gallia profugo. C. Quid ita? B. Quia illic bellis feruent omnia. C. Quid Musis, cum Marte? B. Atqui illic ne Musis quidem parcitur. C. tu igitur fœliciter elapsus es. B. At non sine periculo. C. Totus alius nobis redijsti. B. Qui sic? C. Ex Hollando versus es in Gallum. B. Quid? An capus eram, quum hinc abirem? C. Vestis indicat te mutatum esse, ex Batauo in Gallum. B. Hanc Metamorphosin malim, quam ingallinam: Sed vt cucullus non facit Monachum, ita nec vestis Gallum. C. Iamne calles Gallice? B. Sic satis. C. Quo pacto didicisti? P. Magistris haud quaquam mutis. C. Quibus? B. Mulierculis quouis turture loquacioribus. C. In tali ludo facile discimus loqui. Sonasne probe sermonem Gallicũ? B. Imo & Latinum sono Gallice. C. Nunquam igitur scribes bona carmina, B. Cur ita? C. Quia periit tibi, syllabarum quanti-

tas

tas. B. mihi satis est qualitas. C. Quid? Estne Lutetia immunis a pestilentia? B. non est, sed perpetua non est: aliquando remittit sese, mox recrudescit: nonnunquam intermittitur, deinde recipit sese. C. Non sat erat malorum, vbi bellum est B, Erat, nisi secus esset visum superis. C. Annonæ caritatẽ istic esse oportet. B. Imo penuriam. Omnium rerũ illic inopia est preterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum istic mira vilitas. C. Quid accidit Gallis, vt bellũ suscipiant cũ Aquila. B. quia mouet illos exemplum scarabæi, qui non cessit Aquilæ in bello, nemo sibi non videtur Hercules C Non te remorabor diutius. Alias latius nugabimur, quum erit vtrique commodum. Nũc alio me vocant negotia quædam.

Domestica confabulatio. Personæ.

Petrus, Mida puer, Iodocus.

P. Heus heus puer, nemon, huc prodit? M. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid adfers mihi Petre? P. Meipsum. M. Næ tu rem haud magni pretij huc attulisti. P. Atque magno constitit patri meo. M. Credo, plus, quam reuendi possis. P. Sed Iodocus estne domi? M. Incertus sum, sed visam. Quin tu potius abi & roga ipsum, an velit nunc esse Domi. Abi tu potius, sisque tibi ipsi Mercurius. P. Heus Iodoce, num es domi? Io. Non sum. P. Impudens, non ego te audio loquentem? I. Imo tu

impudentior

impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi te non esse domi,& tu non credis mihi ipsi?P. Aequum dicis,Par pari relatum.I.Equidem vt non omnibus dormio,ita nonomnibus sum domi,tibi posthac semper ero.P. Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere. I Qui sic?Pe.Quia perpetuo domi latitas, nec vsquam prorepis. Non secus atque claudus sutor,,iugiter domi desides.Tu tibi domi situm contrahis.Io Est quod agam domi, foris nihil est negotij. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot a publico cohibuisset.P. At nunc sudum est,& inuitat ad deambulandum.vide vt blandetur.I.Si prodeambulare lubet, non recuso P.Plane videtur hoc vtendum cœlo.Io. Asciscendus est vnus aut alter cõgerro.P.Fiet,modo dicas quos velis.Io. Quid si Hugonem?P. Haud multum interest inter Hugonem,& nugonem. Io Age,placet. P. Quid si Alerdum?Io Homo minime mutus est:quod auribus diminutum est lingua pensat.P. Si videtur,Neuium adiungemus Io. Si quidem dabitur illius copia nunquam erit fabularum inopia.Placent confabulones,superest vt locum despicias amœnum.P. Ego vero tibi locum ostendã,vbi nec nemoris vmbram, nec pratorum smaragdinum virorem,nec fontium viuas scatebras desiderabis: dices dignã musis sedem. Io. Magnifice polliceris. P. Nimium affixus es libris, Nimium assides libris, Immodico studio te maceras.

maceras. I Malim ſtudio macreſcere quam amore Pet. At non ideo viuimus, vt ſtudeamus, ſed ideo ſtudemus vt ſuauiter viuamus. Io. Mihi vero, vel immori chartis dulce eſt. *Pe.* Equidem immorari probo: immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? Iod. Me quidem vehementer oblectauit.

Alia *Perſonæ.*

Ægidius. Leonard.

Æ Quo noſter Leonarde? L. ad te ibam. Æ. Iſtud quidem facis inſolens. L. Quamobrem? Æ. Quia iã annus eſt quod nos nõ viſeris. L. Malo in hanc peccare partem, vt deſiderer, quã vt obtundã Æ. Imo boni amici nulla eſt apud me ſatietas. Imo quo crebrius venies, hoc mihi venies gratior. L. Quid interim agitur domi tuæ? AE. Multa ſane quæ nolim. L. Non miror. Sed quid rerum gerũt filii? AE. Natu maximus iamdudum maritus eſt, breui pater futurus. Minimum ablegaui Lutetiam Nam hic nihil aliud quã ludebat. L. Quid eo? AE. Vt Magiſter nobis redeat ſtultior, quam exierat. L Bona verba. AE. Medius iam cæpit initiari ſacris. L. precor, vt bene vertat omnibus.

Alia. *Perſonæ.*

Mopſus. Dromo.

M. Quid ſit? quid agitur Dromo? Dro. Sedetur: M. Video, ſed quo modo ſe res habent tuæ? D. Vt ſolent ijs, quibus ſuperi ſunt parum propitij. M

Iſtuc

Istuc omen auertat Deus, Quid agis? D. Equidem otium ago: id quod vides, nimirum nihil. M. Præstat otiosum esse quam nihil agere, ego te fortassis occupatum serijs negotijs interpello. D. Imo maxime vacuum. Iam enim me cæperat otij tædium, & congerronem desiderabam. M. Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tuum negotium D. Imo. tædium otij discutis. Mo. da veniã si te parum in tempore interpellarem. D. Imo in ipso tempore aduenis. Opportune te huc attulisti Optatus ades. Interuentus tuus est mihi vehemẽter gratus. M. Fortassis aliquid seriæ rei inter vos agitur, cui nolim esse impedimento. D. Imo lupus (quod aiunt) ades in fabula: nam de te sermo erat. M. Facile crediderim, nam mihi huc venienti, mire tinniebat auris. D. Vtra? M. Leua. Vnde coniicio, nihil magnifice de me fuisse prædicatum D, Imo nonnihil honorificum, M. vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei? D. Aiunt te venatorem esse factum. M. Imo iam intra casses meos est præda quam venabar. Dr. Quænam? Mo. Lepida puella, quam perinde ducturus sum vosque oro, vt meas nuptias vestra præsentia dignemini honestare. D. Quænam est sponsa Mo. Aloisia Chremetis filia. Dr. Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis adlibuit illa nigro capillitio: simis naribus, ore prælargo, ventre prominulo? M. Desinite, mihi eam duxi, non vobis:

vobis non ſat eſt, quod ſuo regi pulchra eſt regina? Ita demum illa mihi placebit, ſi vobis non admodum placeat.

Alia. Perſonæ:

Syrus *Geta.*

S. Opto tibi multam fœlicitatem. G. Et Ergo tibi conduplicatum opto quicquid optas mihi. S. Quid agis rei? C. Confabulor. S. Quid confabulare ſolus? G. Vt vides. S. Fortaſſe tecum: proinde tibi videndum, vt cum homine probo fabuleris. G. Imo cum lepidiſſimo congerrone confabulor. S. Quo? G. Apuleo, S. Illud quidem nunquam non facis: ſed amant alterna camœnæ. Tu perpetuo ſtudes. G. Non eſt vlla ſtudiorum ſatietas S. Verum ſed tamen eſt modus quidam. Non omittenda quidem ſunt ſtudia, ſed tamen intermittenda nonnunquam. Nihil ſuaue, quod perpetuum. Voluptates commendat rarior vſus. Tu nihil aliud quam ſtudes. Nūquam non ſtudes. Continenter incumbis litteris, indeſinenter inhæres Chartis. Studes noctes, & dies Nullum facis ſtudendi finem neque modum. G. Age, tuo more facis: rides me, vt ſoles. Nunc ludis tu quidem me. ſalſe me rides. Satyricum agis. Naſo me ſuſpendis adunco. Non me fallit tuum ſcommā. Nunc me ludos delitiaſque facis. Pro delectamento me habes. Nunc plane ioco mecum agis: rideor abs te. Eadem opera aſſue mihi auriculas aſini

ipſi

ipſi codices puluere, ſituque obducti loquuntur. quam ſim immodicus in ſtudio. S. Emoriar ni loquar ex animo. Diſpeream ſi quid fingo. Loquor d quod ſentio. Quod res eſt dico: ſerio loquor. Ex nimo loquor. Non ſecus ſentio, quam loquor.

Cur non viſis? formula.

L. Quid cauſæ eſt, quod tam diu nos non inuiſeris? Quid rei eſt: quod nos tam raro viſis? quae tam rarus es ſalutator? Quid accidit? Quid ſibi vult? Quid obſtitit, quò minus feceris nobis tui idendi copiam? Quid impedimento fuit?

Non licuit per occupationes, formula.

S. Non licuit per otium. Volui quidem, at non cuit mihi per mea negotia. Hactenus non ſinebāt egotia, vt te viſerem. Ocupatior fui quam vt poerim. Vix ipſi mihi fuit copia mei, præ moleſtis egotiis. Non defuit voluntas, ſed vetuit neceſſitas Non licuit per valetudinem. G. Equidem accipio uam excuſationem, ſed hac lege, ne ſæpius vtaris. Excuſatio tua iuſtior eſt quam vellem, ſi quidem valetudo in cauſa fuit. Hac lege mihi purgatus eris, ſi quod factum eſt, officio ſartias. Si ſuperiorem ceſſationem crebra viſitatione penſes. S. Amicitia noſtra firmior eſt, quam vt ſit tam vulgaribus officiis alenda. Satis crebro viſit, qui conſtanter amat. G. Male ſit iſtis curis, quæ te nobis adimunt. Quod impiecer iſtis negotiis, quæ talem amicum nobis inuident? Peſſime ſit iſti febri,

bri que nos tam grauí desiderio torsit tui. Male pereat ista febris, te incolumi.

Mandandi ac pollicendi formulæ.

Iacobus Sapidus.

I. Quæso vt hæc res tibi cordi sit. Etiam atque etiam rogo, vt hoc negotium tibi curæ sit. Si me ames, causam hanc tractabis diligenter. S. Desine ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Curabo diligentius quam si mea res ageretur. Tu in vtramuis dormias aurem, ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam omnem. Gaudeo mihi datam occasionem, qua declarem meum in te animum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quicquid est amici synceri, & ex animo bene volétis: nolim te lactare vana spe.

Successus.

S. Res succedat opinione melius. Fortuna voto vtriusque fauet. Res tua, & ventis & amne secundo processit. Si fortuna nupsisset, non potuisset esse secūdior. Plus impetraui, quam fuissem ausus petere. Res omnis cecidit ex sententia. Pulchre nobis cecidit hæc alea. Noctua volauit.

Gratia.

I. Equidem gratiam habeo, & habiturus sum quo ad viuam, maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias vix possim, referre nequa-

quam

quam. Amo te plurimũ. Et habetur a me gratia, & habebitur ſemper. Habeo gratiam, quod meum ti bi negotium cordi fuit. Plus tibi debeo, quam vt vnquã ſoluendo eſſe poſſim. Arctius me obligaſti, quam vt ex diario tuo, vnquam nomen meum ex pungere queã. Hac re me tibi deuinctiorem reddi ſiſti, quã vt vnquã æs alienum perſoluere poſſim

Reſponſio.

S. Aufer iſta, maior eſt noſtra neceſſitudo, quam vt vel tu mihi, vel ego tibi pro vllo officio debeã gratias agere. Non contuli in te hoc officium, ſed retuli. Sed benefacit, qui benefacit amico. Vide-r mihi beneficium accepiſſe, quod noſtrum offi-cium boni conſulis. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, ſed fœnerat. Si ex animo robas officiũ in te meum, fac ſæpius vtare. Ita cre ã tibi gratũ eſſe quod feci, ſi quoties deſiderabis peram meam, non roges, ſed imperes quod voles.

Herilia.

Rabinus. Syrus.

R. Heus heus furcifer, iamdudum rauceſco cla more, nec tu tamen expergifceris, videre mihi vel um gliribus certare poſſe. Aut ocyus ſurge, aut go tibi fuſte ſomnum iſtum excutiam. Quando apulam heſternam edormieris? non te pudet, mnium hominis, in multam lucem ſtertere? ui frugi ſunt famuli, ſolent exortum ſolis ante-rtere, curareque herus vt ſurgens reperiat om-

ma parata. Vt ægrè diuellitura nido tepefa
cuculus. Dum ſcalpit caput, dum diſtendit ne
uos, dum oſcitat, tota abit hora. S. Vix dum dix
xit. R. Credo tibi, nam tuis oculis adhuc mul
nox eſt: tibi nox adhuc eſt concubia. S. Quid n
lubes facere? R. Fac vt luceat foculus, verre pi
um ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inue
ſas caligos, primum intus purga ſcopis, mox fo
ris: deinde ſuffitum aliquem facito, purgan
aeri: Accende lucernam. Multa mihi lineum i
du ſium, ac ad ignem fumi expertem ſicca lotii. S
Fiet. R. Atqui moue te ocyus, iam hæc feciſſe o
portuit. S. Moueo. R, Video, ſed nihil promoue
Vt incedit teſtudo. S. Non poſſum ſimul ſorbe
& flare. R Etiã ſententias loqueris carnifex? To
matulam, compone lecti ſtragulas, reuolue C
tineas. Verre pauimentum. Verre ſolũ cubicu
Adfer aquam lauandis manibus. Quid ceſſas a
ne? Annus eſt, priuſquam accendas candelam.
Vix reperio ſcintillam ignis. R. Sic heri condi
ſti. S. Nec follem habeo, R. Vt reſponſat nebul
quaſi qui te habeat, careat folle? S. Quam impe
oſum habeo dominum: Vix huius iuſſis, dece
expediti famula, fuerint ſatis. R. Quid ais ceſſat
S. Nihil, omnia rectè. R. Non ego te audioobm
murantem? S. Equidem precor. R. Credo, Pa
noſter inuerſum: precationem opinor Domi
cam præpoſterè. Quid gannis de imperio? S, P
ce

eor tibi, vt fias Imperator. R. Et ego tibi, vt fias homo excaudice. Sequere me ad templum vsque: mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa, suo quæque loco digerito; fac vt niteat tota domus, matulam defricato. Hæc sordida sub moueto ab oculis, fortassis inuisent me quidē ulici. Si quid sensero prætermissum, vapulabis largiter. S. Hic sane noui benignitatem tuam. R. Proinde caue, si sapis. S. At interim de prandio nulla fit mentio. R. Vah, vt hæc mentem habet furcifer. Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eò, vbi sum pransurus. S. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est, quod edam. R. Si non est quod edas, est quod esurias. S. Nemo fit esuriendo satur. R. Est panis. S. Est, sed ater, & furfuroce us. R. Delicias hominis, te quidem fœnum esse oportuit, si papulum detur te dignū. An postulas vt e asinum tantum placentis sagine? Si fastidis panē itra ob sonium, adde porrum, aut si mauis, cepe.

Alia

R. Est tibi abeundum in forum. S. Tam procul? R. Non sunt nisi sex passus: tibi pigro sunt bis mil e Consulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatio ne multa conficies negotia. Tu supputa in digitos, vt memineris. Primum flectes ad vestiarium, ac thoracem vndulatum, si iam perfectus est ab eo recipies. Hinc quæras Cornelium vere darium

um. Is plerumque est in Coruo, ibi potat. Ro
bis, si quid habet litterarum ad me, & ad quem d
em sit profecturus. Deinde conueniens mercato
rem pannarium, rogabis meis verbis, ne quid fol
licitus sit, quod pecuniam non miserim ad diem
præscriptum: numerabitur propediem. S. Quan
do? ad Kalendas Græcas? R. Rides ganeo? Imo,
ante Kalendas Martias. In redditu deflectas ad la
uam, & ex Bibliopolis discens, si quid aduectum
sit nouorum libellorum è Germania. Cognosce
qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Co
clenium vt mihi dignetur esse conuiua alioquin
cœnaturo soli. S. Etiam conuiuas vocas? non ha
bes domi vnde vel murem pascas. R. Proinde tu
confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis
armum ouilem. eum curabis diligentur assum.
Audin hæc? S. Plura quem vellem. R. vt vide, ve
memineris. Vix potero dimidiũ. R. Etiam hic sta
cessator? Iam redijsse oportuit. S. Quis possit vnus
tot rebus, obeundis sufficere? Deduco ac reduco.
Sum illi à scopis, à matula, à pedibus, à manibus,
à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgijs, à lega
tionibus, Postremo, non videor illi sat occupa
tus nisi sim & coquus.

Alia,

R. Profer ocreas, nam equitandum est. S. En
adsunt. R. Probe quidem abs te curatæ, totæ al
bent situ. Opinor nec extersas nec vnctas hoc
anno,

anno, adeo rigent præ ſiccitate. Exterge ſub ito panno, mox vnge ad ignem diligenter ac macera donec molleſcant. S. Curabitur. R. Vbi calcaria? S. Adſunt. R. Verum: ſed obducta rubigine. Vbi frænum & ephippia? S. Sunt in promptu. R. Vide ne quid deſit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis ſit in mora, cum erimus in curſu. Propera ad cellarium, & hoc lorum curæ farciendum. Reuerſus inſpice ſoleas, ſiue calceos equorum, num qui claui deſint, aut vacillent. Quam macilenti ſunt equi quamque ſtrigioſi? Quoties abſtergis, aut pectis illos in anno? S. Imo quotidie. R. Nimirum res ipſa loquitur. Ieiunant, opinor, nonnunquam totum triduum. S. Minime. R. Negas tu quidem, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat. Quanquam ſatis loquantur ipſa macie. S. Curo ſedulo. R. Cur igitur tu habitior equis? S. Quia non paſcor fœno. R. Hoc igitur reſtat. Adorna manticam celeriter. S. Fiet.

Monitoria.

Padagogus. Puer.

Pæ. Tu mihi videre non in aula natus, ſed in caula, adeo moribus es agreſtibus. Puerũ ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quiſpam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum, aperi caput: vultus ſit nec triſtis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus nec inſtabilis, ſed hilari modeſta temperatus o-

culi vere eundi, semper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulæ manus, nec mordeto labrum, nec scalpito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorem componatur, vt totus cultus vultus, gestus, & habitus corpori ingenuam modestiam, & verecundam indolem præ se ferat. Pu. Quid si mediter? Pæ. Fac. Pu. Siccine satis? Pæ. Nondum. Pu. Quid si sic? Pæ. Propemodum. Pu. Quid si sic? Pæ. Hem satis est, isthuc tene. Ne sis incepte loquax, aut præceps. Ne vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid eris respondendum, id facito paucis ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia. Atque, identidem modice flectas alterum genu, præsertim vbi responsum absolueris. Neca beas, nisi precatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc, age, specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti á maternis ædibus? Pu. Iam sex ferme menses. Pæ. Addendum erat, Domine. Pu. Iam sex ferme menses, Domine. Pæ. Non tangeris desiderio matris? Pu. Nonnunquam sane. Pæ. Cupis eam reuisere? Pu. Cupio domine si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet, sic pergito. Qūm loqueris caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures: sed, distincte clare, articulate consuescito proferre

ferre verba tua. Si quem præteribis natu grandē, magiſtratum, ſacerdotem, doctorem, aut alioqui virum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. In conuiuio, ſic te præbebis hilarem, vt ſemper memineris quid deceat ætatem tuam. Poſtremus omnium, admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, recuſato modeſte: ſi inſtabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuncula, & quod reliquum eſt, illi reddito, aut alicui proxime accumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precare, ſed ipſe bibito modice. Si non ſitis, tamen admoueto cyathum labijs. Arride loquentibus, ipſe nequid loquaris niſi Rogatus. Si quid obſcœni dicitur arride, ſed compone vultum, quaſi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena deſpicito. Eſto comis, etiam erga tenuis fortunæ ſodales. Neminem deferto. Ne ſis lingua futuli. Ita fiet, vt ſine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Si videris conuiuium eſſe prolixius, precatus veniā, ac ſalutatis cōuiuis ſubducito te a menſa. Vide, vt horum memineris. Pu. Dabitur opera mi Præceptor. Nunquid aliūd vis? Pæ. Adito nunc libros tuos. Pu. Fiet.

De luſu.

Nicolaus, Hyeronimus, Cocles, Pædagogus.

N. Iamdudum & animus, & cœlum, & dies inuitat ad ludendum. H. Inuitant quidem hæc omnia,

mia, ſed ſolus præceptor non inuitat. N Subornandus orator quiſpiam, qui veniam extorqueat. H. Apte quidem dictum extorqueat. Nam citius clauam extorſeris è manu Herculis, quam ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior. N. Verum, ſed iam olim ille oblitus eſt ſe fuiſſe puerum. Ad verbera facillimus eſt, & liberalis: hic parciſſimus idemq,. difficillimus. Hy. At tamen protrudendus eſt aliquis legatus non admodum vere cundæ frontis, quem non illico protelet ſuis ſæuis dictis. N. Eat, qui volet, cgó carere malo, quam rogare. Hy. Nemo magis accommodus ad hanc legationem quam Cocles. N. Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis eſt, ac bene linguax, deinde, ſenſum hominis pulchre callet. Hy. Cocles ab omnibus nobis magnam es initurus, gratiam. C, Equidem experiar ſedulo. Verum ſi non ſucceſſerit, ne conferte culpam in oratorem veſtrum. Hy. Bene ominare: ſi te ſatis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. C. Eo Bene fortunet legationem meam Mercurius. Salue præceptor. P. Quid ſibi vult nugamentum hominis? C. Salue præceptor obſeruande. P. Inſidioſa ciuilitas, ſatis iam ſalueo, dic quid tibi velis? C. Totus Diſcipulorum tuorum grex orat ludendi veniam. P. Nihil aliud quam luditis, etiam abſque venia. C. Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti

cuisti ex Quintiliano. P. Sane vt istuc tenes quod pro te facit, laxamento opus est ijs qui vehementer laborant: vobis qui segniter studetis, & acriter luditis, fœno magis opus est, quam laxatis habenis. C. Adnitimur pro viribus. Et si quid hactenus cessatum est, post diligentia sarceatur. P. Oh sartores. Quis erit fide iussior, istuc futurum? Co. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor. P. Imo culi periculo potius. Scio quam non sit tutum tibi credere. Tamen hic periculum faciam, quam sis bonæ fidei. Si dederis verba, post hac ne quicquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Ne diuertant ad compotationes, aut alia nequiora. Mature se recipiant domum: ante solis occubitum. C. Fiet. Exoraui, quanquã ægre. H: O lepidum caput, omnes amamus te plurimum C. Sed interim cauendum, ne quid peccemus alioqui de meo tergo dependendum foret: fide iussi vestro omnium nomine, quod si quid accidat, non est quod me post hac vtamini legato. H. Cauebitur: sed quod lusus genus potissimum placet? C. De hoc in campo consultabimus.

Pila.

N. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quam pila palmaria, sed aptior hyemi, quam æstati. H Nullum anni tempus nobis parũ accommodum est ad ludendum. N. Minus sudabitur, si ludamus reticulo. H. Imo reticulum pis-

catoribus

catoribus relinquamus: Elegantius est palma vti
V. Age, nihil moror, sed quanti certabimus? H. Ta
litro, sic parcetur pecuniæ. N. at ego malo fronti
parci, quam pecuniæ. H. Et mihi frons charior est
pecunia. Aliquo periculo certandum est, alioqui
friget lusus. N. sic res habet vt dicis. H. vtra
pars prior euicerit tres lusus, ei victa pendet
sextam drachmæ patrem: sed hac lege, vt quic-
quid è victorijs collectu fuerit insumatur in con-
uiuium, ad quod pariter vocenter omnes. N. Pla-
cet lex, & rata esto, superest igitur, sortiamur
partes. Nam sumus ferme pares omnes, vt non ad
modum referat, quis cui coniungatur. H. Tu tamé
me longe peritior es, N. Vt sim, sed tu fœlicior. H
Etiam hic valet fortuna? N. Illa nusquam non reg
nat. H. Age fiat sortitio. Euge, bene cecidit: con-
tigere quos volebam. N. Et nos nostræ sodalitatis
non penitet. H. Agedum, simus viri: amat victoria
curam. Suum quisque locum gnauiter tueatur. Tu
mihi consiste a tergo, excepturus pilam, si me trans
volet, tu istic obserua: repulsurus huc ab aduersa-
rijs reuolantem. N. Ne musca quidem hac præter
uolarit impune. H. Agite bonis auibus, mitte pilã
in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra mi-
serit. N. Hem accipet igitur. H. Mittito: si miseris
extra lineas, aut infra supraue tectum, vestro dam
no fuerit, at certe nobis fraudi esse nolim: Tu sa-
ne parum commode mittis. N. Tibi quidem, at no
bis

bis commode. H. Vt miseris, ita remittam, par pari referam. Sed præstat ingenuè legitimèque ludere. M In ludo pulchrum est arte vincere. H. Fateor, atque etiam, in bello. Sed habet vtraq., pars suas leges. Et sũt artes illi berales. N. Credo plures septem. Signa terminum testula aut rudere, aut si mauis pileo tuo. H. Tuo malim. N. Rursus accipe pilam. H. Mitte. Pone notam, N. Habemus duos terminos satis longinquos. H. Vt cunque, sed tamen vincibiles. N. Plane vincibiles, si nemo repugnet. H. Euge priorem metam præcurrimus. Vicimus quindecim: Heus præbete vos viros: viceramus & hic, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. N. Non diu futuri. Vicimus triginta: Vicimus qua draginta quinque. H. Sestertia? N. Non. H. Quid igitur? N. Numeros. H. Quo pertinent numeri, si nihil est quod numeres? N. Noster hic ludus est. H. Præpropere tu quidem, ante victoriam canis triumphum. Vidi, qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est vt Martis, ita lusus alea Habemus triginta. Iam rursum pares sumus. N. Nunc seriores agitur, Eugè successit, habemus potiores. H. Non diu habituri. Dixin? Rursus æquali fortuna sumus. N. Diu nutat fortuna velut anceps vtris velit addicere victoriam. O fors fortuna si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit votum, penes nos est huius certaminis victori.

ctoria. Pone notam cretaceam ne excidat. H. Iam appetet vesperа, & sudatum est satis: præstat á ludendo desistere ne quid nimis. supputemus lucrum. N. Nos euicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur vna, ad compotiunculam. Sed interim quis soluet pretium pilarum? H. Omnes ex æquo, pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est quam vt inde possit aliquid decidi.

Ludus Globorum missilium.

Adolphus. *Bernardus.*

A. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificé in certamine mittendorum globorum Age, libet experiri, qui vir sies. B. Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu plane quod dici solet, in planitiem prouocas equum. A. Et tu senties me non esse asinum. B. Placetne monomachia, vt vnus vt vno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi? A. Malo μόνομαχεῖν, ne qua pars victoriæ decidatur alteri. B. Isthuc & ipse malo, vt laus in solidum sit mea A. Hi spectatores erunt & arbitri. B. Recipio: sed quod erit victori præmium, aut quæ victo pœna? A. Quid si victo ãp utetur auricula? B. Imo testium alter exsecetur potius non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus. Decertemus pro suæ vterque gentis gloria, Si vicero, tu ter exclamabis: Floreat Gallia. si victus (quod absit) fuero totidem verbis celebrabo tuam Germaniam. A.

Age,

Age, placet conditio. B. Adsit fortuna, quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes. Sint æquales sphæræ. A. Nosti saxum illud prominens, haud procul á porta. N. Noui. A. Ea erit meta, & hæc linea. B. Esto, sed sint, inquam, pares globi. A. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum a ficu: sed mea non refert, vtrum mauis, elige. B. Mitte. A. Heus tu, mihi nō brachium, sed balistinā habere videris ita torques globum. B. Satis momordisti labrum: satis rotasti brachium, tandem mitte. O vires Herculeas. sed tamen vinco. A. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te. B. Consiste in sphæræ tuæ vestigio. A. Non vtar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat. B. Ingens profecto iactus. A. Ne ride priusquā viceris. Adhuc pene sumus pares. B. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is vicerit. A. Vici, canta. B. Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria. Nam primo nondum incaluerunt vires. A. Definiāt arbitri. A. Tertio. B. Placet. A. Quid ais, agnoscisne victorem? B. Tibi fortuna magis aspirauit, viribus & arte non tibi cesserō. Sed quod arbitri pronunciauerint id sequar. A. Germanus vicit. & hoc glorioſior est victoria, quod talem artificem vicerit. Nunc canta Galle. B. Sum raucus. A. Hoc Gallis non nouum est, sed tamen coccyssa. B. Floreat Germania ter. A. Imo

ter

ter hoc erat canendum. B. Contraximus fitien
eamus ad compotatiunculã, ibi perficietur can
ca. A. Nõ recuſo ſi ita videtur arbitris. B. Ita cõ
modius eſt. Melius canet Gallus colluto gutur

Ludus ſphæræ per annulum ferreum.

Gaſper. *Eraſmus.*

G. Age nos auſpicamur, victo ſuccedet Mar
colphus. E. Sed quod erit victori præmiũ? G. Vi
ctus ex tempore faciet, & recitabit diſtichon in
laudem victoris. E. Accipio legem. G. Vi ſine ſor
tiamur vter prior incipiet? Eſto tu prior, ſi lubet
ego malim eſſe Abbas. G. Hoc tua conditio pot
or eſt, quod tibi nota eſt area: verſaris in tua are
na. In hac exercitatior ſum, quam in libris: tamen
iſtud perquam exigui momenti eſt. E. Aequũ eſt
vt tantus artifex in hoc certamine, mihi largiare
nonnihil. G. Imo iſtuc abs te petierem iuſtius: ſed
parum eſt honeſta precari victoria. Is demum
vincit, qui ſuo Marte vincit. Ita ſumus pares, vt
non melius cõmiſſus fuerit olim cum Bitho Bac
chius. E. Tua ſphera commodior eſt mea. G. Et
tua vola vincit meam, E. Ludito legitime abſque
technis, ac dolo malo. G. Dices tibi rẽ eſſe cum
homine probo. E. Sed prius audire cupio, huius
ſphæriſterij plebiſcita. G. Quaternio ludum abſol
uit: qui hanc lineã præterierit, in damno eſt. Re
liquos limites ſi tranſilias, ſine fraude fiet. Qui
globum ſuo loco mouerit, perdet ius feriendi. E.

Intelligo.

telligo. G. En occlusi tibi portam. E. Sed istinc
excutiam. G. Id si feceris, cedam tibi huius cer-
minis palmam. E. Bona fide? G. Optima, non
nim potes alia via, nisi sic mittas sphæram tuam
parietē, vtresileat in meam. E. Id experiar. Quid
s bone vir? Nonne depulsus es? C. Fateor, vtinā
m sapiens esses, quam es Fœlix. Sed istuc senties
ntanti vix semel successerit? E. Imo si quid audes
eponere pignoris, nisi tertio quoque experimen
successerit, vinces, sed interim redde pactum
ræmium. G. Quodnam? E distichon. G. Reddam
. Et quidem ex tempore. Quid arrodis vnguem?
. Habeo. E. Recita clarè. G. Clarissime.

Plaudite victori iuuenes, hic quotquot adestis,
Nam qui me vicit doctior est nebulo.

Nonne distichon habes? E. Habeo: sed quale
ste allatum est, tale tibi referetur.

Saltus. Personæ.

Vincent. Laurent.

V. Libetne decertare saltu? L. Ludus iste non
onuenit pransis. V. Quamobrem? L. Quia ventris
burra grauat corpus. V. Nō admodum sanè, qui
ransi sint in pædagogio. Nam hi plerumque cœ-
aturi sunt, priusquam absoluerint prandium. L.
Quod igiter saliendi genus placet? V. Auspice-
mur ab eo, quod est simplicissimū à saltu locusta
um, siue mauis ranarum, vtraque tibia, sed iunctis
edibus. Qui longissime promouerit cingulum,

coronam feret. Huius vbi erit satietas, aliud atq
aliud genus experiemur. L. Equidem nullum re
sabo genus nisi quod geritur cum perici
tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis.
Quid si certemus vnica tibia? L. Iste ludus est
pusæ: valeat. V. Hastæ innixum salire, cum prim
est elegans. L. Liberalius est certare cursu. Siqui
hoc certaminis genus, apud Virgiliũ propos
& Aeneas. V. Verum, idem proposuit & cæst
um certamen, quo non delector. L. Designa s
dium hoc loco sit carcer. Quercus ista sit me
V. Sed vtinam adesset Aeneas, qui proponat
præmia victori. L. Victori abunde magnum pr
mium est, gloria V. Victo potius, dandum e
præmium, solatij gratia. L. Sit igitur victo præm
um, vt lappa coronatus redeat in vrbem. V. Equ
dem non recusarim, si tu præcedas, tibia cane
L. Est ingens æstus. V. Nec mirum, quum sit so
stitium æstiuum. L. Præstiterat natare V. Mihi no
placet ranarum vita: Animal sum terrestre, no
amphibion. L. Sed tamẽ hoc exercitamenti gen
olim cum primis habebatur liberale. V. Imo e
vtile. L. Ad quid? V. Si fugiendum sit in bello, i
potissimum valent qui sese cursu pedum, & na
tu exercuerunt. L. Artem narras haud quaqua
aspernendam. Neque enim minus laudis est a
quando bene fugere, quam fortiter pugnare,
Sum plane rudis, & imperitus natandi, nec si
pericu

ericulo versamur in alieno elemento. L. Sed assefacere oportet. Nemo nascitur artifex. V. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse. Experieris primum innixis suberi. L. Nec suberi fido magis quam pedibus. Il verbis cordi est natatio, spectator esse malo, quam certator.

Venatio.

Paulus, Thomas, Vincentius, Laurentius, Bartholomeus.

P. Trahit sua quenque voluptas, mihi placet enatio. T. Planet & mihi, sed vbi canes? Vbi venabula? Vbi casses? P. Valeant apri, vrsi, cerui, & vulpes, nos insidiabimur Cuniculis. At ego laqueis iniiciam locustis, insidiabor grellis. L. Ego ranas captabo. B. Ego papiliones venabor. L. Difficile est sectari volãtia. B. Difficile, sed pulchrum tamen si pulchrius esse dicis, sectari lumbricos, aut cochleas: quia carent alis. L. Equidem malo insidiari piscibus: est mihi hamus elegans. B. Sed vnde parabis escam? L. Lumbricorum vbique magna est copia. B. Est, si tibi velint prorepere è terra. L. At ego mox efficiam, vt multæ myriades prosiliant. B. Quo pacto? Incantamentis? L. Videbis etem, imple hanc fitulam aqua. Hos iuglandium immos cortices virentes, fractos, immittito. Hac qua perfunde solum. Nunc obserua paulisper. Vides emergentes? B. Rem prodigiosam video.

Sic olim opinor exiliebant armati, ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces, delicatioris & elegantioris sunt palati, quam vt esca tam vulgari capiantur. L. Noui quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo. B. Tu vide an possis imponere piscibus, ego ranis facessam negotium. L. Quomodo, reti? C. Non, sed arcu. E. Nouum piscandi genus. B. At non iniucundum: vide bis, & fateberis. V. Quid si nos duo micemus digitis? P. Ignauum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis conuenit quam in campo versantibus. V. Quid si certemus nucibus? P. Nuces admodum pueris relinquamus, nos grandiusculi sumus. V. Et tamen nihil aliud adhuc quam pueri sumus. P. Sed quibus decorū est ludere nucibus, iisdē non indecorum est equitare in arundine longa. H. Tu igitur, præscribito lusus genus, sequar quocunque vocaris. P. Et ego futurus sum omnium horarum homo.

Euntes in ludum literarium.

Siluius. Ioannes.

I. Cur adeo curris Iohannes? I. Cur lepus, vt aiunt, pro canibus? I. Quid hoc prouerbii est? I. Quasi nisi adfuero in tempore ante recitatum catalogum actum est de pelli mea. I. Hac quidem ex parte nihil est periculi: imo do præterita est quinta. Inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora, æquis spa-

tijs

tus dirimit. I. Quid loquebatur? S. Horam esse quintam. I. At ego vix habeo fidem horologiis, mentiuntur nonunquam. S. At mihi fide, qui campanæ vocem audiui I. Sed est & aliud, vnde magis etiam timeam: reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor, vt possim. S. Commune periculum narras, nam & ipse vix satis teneo. I. Et nosti præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est, nec magis parci nostris natibus quam si corium esset bubulum. S. Verum, is non aderit in ludo. I. Quem igitur vicarium constiutit? S. Cornelium. I. Strabum illum? væ nostris natibus. Is vel Orbilio plagosior est. S. Verum dicis, & ideo non raro sum illius brachio precatus paralysim. Non est pium imprecari præceptori: nobis potius cauendum, ne incidamus in illius tyranni manus. S. Reddamus inter nos vicissim, altero codicem inspiciente. I. Pulchre mones. S. Fac prælenti sis animo. Nam metus officit memoriæ. I. Facile deponerem pauorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine, quis possit esse securus animo? S. Fateor, attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

Aia.

Cornelius, Andreus.

C. Scite tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. A. Quæso, vt appares mihi pennã hanc.

C. Deest mihi gladiolus scriptorius. A. En tibi. C. Hui, quám obtusus. A. Accipe coticulam. C. Vtrũ mauis scribere cuspide duriuscula an molliore? A. Attempera ad manum tuam. C. Ego molliore soleo. A. Quæso vt mihi descri bas ordine, figuras elementorum. C. Græcas, an Latinas? A. Latinas primum conabor imitari. C. Suppedita chartam. A. Accipe. C. Sed meum atram entum dilutius est, subinde infusa aqua. A. At meum linteolum prorsus exaruit. C Immunge, nisi mauis immeiere. A. Imo potius rogabo alicunde. C. Præstat habere domi, quam rogare commodato. A. Quid est scholasticus, absque calamo & atramento? C. Quod miles absque clypeo & gladio. A. Vtinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem, scribendo assequi, Prima cura sit vt bene scribas, proxima vt celeriter. Sat cito, si sat bene. A. Belle, sed istam cantationem cane præceptori, quum dictat. Sat cito, si sat bene.

Breuis de copia præceptio

PPincipio res ipsa puris, electis, ac Latinis verbis efferenda est: quod ipsum posse, non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio, quomodo copiam & varietatem orationis affectant, quum ne semel quidem, rem possint, apte explicare: isti tanquam semel balbutisse sit parum, balbutiem suam, aliis atque aliis modis, reddunt balbutionẽ tanquam ipsi cæcum certamen

susce-

ſuſceperint, vt quam barbariſſime dici poſſit, dicant. Itaqui inepti ſynonyma quædam congerunt, adeo interdum inter ſe diſſidentia, vt ipſi mirentur quopacto conuenerint. Quid enim abſurdius, quam hominem pannoſum, cui ne vna quidem, quam ſine pudore poſſit induere, ſit veſtis: tamen ſubinde ſuos pannos mutare ac mendicitatem ſuam pro opibus oſtentare? At nihil ominus, ridiculi videntur iſti varietatis affectatores, qui quum barbare ſemel dixerint, repetent idem multo barbarius, demum iterum atque iterum indoctius. Hoc eſt, non oratione, ſed ſolœciſmis abundare. In primis igitur, vt dixi, res ipſa aptis atque electis verbis eſt explicanda. Deinde mutatorijs verbis vtendum, ſi qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Denum vbi propria deficient, tranſlatitijs erit vtendum, ſi modo verecunda ſit tranſlatio. Ea quoque vbi deerunt, ſi per actiua dixiſti. ad paſſiua reuertendum erit. quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis conſtabant. Poſtea verba, ſi licet, aut in nomina verbalia, aut in participia commutabimus. Poſtremo, vbi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias atque alias partes commutauerimus, per contrarium dicemus, aut affirmatiuam orationem, in negatiuam commutabimus, aut retrorſum: aut certe quod pronunciatiue dictum, per interrogationem efferemus. Nunc

exempli causa, hanc sententiam sumamus: Litere tuæ magnopere me delectarunt.

Litteræ.

Epistola: epistolium, scripta, schedæ: litteræ. Magnopere, mirum in modum, miris modis, maiorem in modum? mirandum in modum, supra modum plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere. Me. Animum meum, pectus meum oculos meos, & cor meum Christianum.

Delectarunt.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exilarunt voluptati fuerunt, oblectarunt, voluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, iucundissimæ, &c. Habes materias: tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. G. Tuæ litteræ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilarauit. A. Verte actiuum in passiuum alia erit facies. Vt dici non possit, quam tuis sim scriptis exhilaratus.

Item alia verba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cæpi voluptatem, Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum voluptatis accepi. Non mediocem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt Hic, non ita liceret mutare in passiua nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod vsitate dicitur. Capiebatur à me voluptas: allatum gaudium, non perinde vsitate dixeris.

Per

Per afficio.

Singulari voluptate literæ tuæ me affecerunt.

Muta in passiuum.

Tuis scripti s, incredibili tum affectus voluptate. Non parum gaudiorum, tuum nobis epistolium peperit.

Per sum & nomina Aeiectiua.

Tuæ mihi litteræ, multis modis, iucundissimæ fuerunt.

Fuit tua illa epistola, sane, quam gratissima.

Per nomina Substantiua.

Ineffabili voluptati, tua nobis epistola fuit.

Incredibili iucunditati, fuerunt tuæ literæ.

Commuta in negationem.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in vita tuis litteris accidit iucundius. Quanquam hac ratione aliquoties iam vsi sumus, quæ non est negligenter prætereunda. Nam quoties multum, plurimum, singulariter significare volumus, per contrarium verbum idē efficiemus: vt vehemēter te amat Henricus. Haud vulgariter te amat. Multum me iuuat vinum, haud parum iuuat Est vir singulari ingenio, est vir ingenio non vulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est in summo apud suos loco natus. Nòn infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, nō

ob-

obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non in vsu veniunt. Sed admonuisse rē clarissimā satis est: Nec te lateat, bifariam nos huiusmodi rationū genere vti, modestiæ causa (præsertim si de nobis ipsi loquamur) tum etiam amplificandi gratia. Nā non ingratū, pro valde grato. Non vulgariter, pro singulariter, recte & venuste dicimus.

Modestiæ causa.

Ego litteris meis, nonnullam doctrinæ sum opinionem consecutus. Semper curaui, vt in litteraria gloria non postremas partes tenerem. De amplificatione, superiora sunt exempla, nunc ad nostra reuertamur. Nihil tua epistola, vnquam euenit gratius. Nulla res maiori vnquam voluptati fuit, quam tua scripta. Nulla vnquam ex re tantundem cepi voluptatis, quantum ex tuis literis amantissimis. Hoc modo singulæ orationes superiores, poterunt variari per interrogationē. Quid tuis litteris, in vita iucundius esse potuit? Quid epistola illa tua nobis euenit dulcius esse? Quid ita oblectauit vnquā, vt proximæ tuæ literæ? Hoc modo, rursum singulas fere rationes variare licebit. C. Quid deinde fiet? A, Iam paulo liberius totā orationem vertemus, vt vnam doctrinam, pluribus verbis circumloquamur. C. Dic exempli causa. A. quod modo per nomen, incredibile, modo per aduerbium, incredibiliter, dictum edat, vnam dictionem aliquot verbis commutabimus. Verbis

bis consequi nequeam, quantum tuis literis sim delectatus. Et mihi scriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi scripta fuerint. Explicare prorsus nequeo quã sim tuis literis gauisus. Et item in finitũ. Rursum alio pacto. Nã hactenus & per negationem, & per interrogationẽ postremo per infinitas orationes variabimus. Nũc per subiunctiuas siue cõditionales variabimus hoc modo. Moriar, si vnquam quicquam fuit tuis literis aut optatius, aut dulcius. Peream, si vlla res maiori voluptati fuit, quám tuæ literæ. Ita me deus amet, vt nihil in vita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa, in hunc modum excogitare licebit. C. Quid inde? Nunc ad translationes, similitudines, & exempla fugiendum est.

Translatio est in his.

Accepi tuas literas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil, nisi meræ delitiæ, tua mihi scripta videntur. Mera voluptas sũt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima. Sed cauendum est obsoletis aut durioribus translationibus vtamur, quale illud est, Iupiter hybernas cana niue conspuit Alpes. Et quale est illud, Cœna tuorum scriptorum me suauissimis epulis refecit.

Comparatio á simili.

Tua scripta, omni vel Ambrosia, vel nectare suauiora fuere. Literæ tuæ, quouis melle mihi fuere dulciores.

dulciores. Epistolas humanitatis tuæ & siliquam omnem, & Mel Atticum, & Saccarum omne, nectar. Ambrosiamque deorum lõgè superauit. Hic quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

Ab Exemplo.

Nunquam adducar, vt credam, Hero Leandri sui literas aut maiore voluptate, aut pluribus osculis accipisse, quam tuas accepit. Vix crediderim, aut Scipionem, euersa Carthagine, aut Paulum Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quam ego simul ac suauissima tua scripta, tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi tum ex fabulis, tum ex historiis infinita possunt inueniri. E Physica vero sumuntur rerum similitudines, quarum quam plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sentẽtia tentemus.

Nunquam dum viuam tui ero immemor. Semper dum viuam tui meminero. Quod viuam nunquam me tui capiet obliuio. Prius viuere desinã, quam tui non meminisse.

Per comparationes.

Si vmbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriã ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

Praterea per ἀδύνατον, aut mare poetico per contrariã.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit

bit

bit. Ante leues ergo,&c. quæ non est multi negotii excogitare. Verum ne immodici videamur,his in præsētia cōtenti simus. Alias,si voles copiosius hac de re colloquemur. C. Ego te Augustine iam plane exhaustū putabā. Sed tu præter expectatioē nouum thesaurū indicasti,quem si pergas explicare, nox ante occupauerit, quam tibi eadem de re desint verba. Au. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto, quantū Ciceronem ipsum valuisse credis qui cū Roscio histrione certasse legitur? Sed Sol nos reliquit, humescit cœlū, prestat imitari auiculas, tecto q, ac lecto nos condere. Proinde vale mi Christiane suauissime in crastinū. C. Tui itidem bene valeto Augustine omnium doctissime.

Iohannis Textoris viri doctissimi comœdia.

Personæ.

Iuuenis. Pater. Vxor.

I. Amabo pater,agè, scis quid agendū mihi siet. quo minus vitam hanc breuiusculā & bulla fragiliorem,in ærūnis degero? P. Quid inquam,tibi est animi? gauderem si quid facerem quod tibi non esset molestum. I. Verum ego te eam ob rem consultum volui. quoniam iam ex Ephœbis excessi, vt mihi ætatis prouectæ aperias,quod mihi factu videres vtile. P. Nihil fili magis in rem tuā esse conspicio,quam vt ludum sequare literarium. I. Non si clamando medius crepueris, istud in animum inducas

inducas meum pater. P. Quidni induxero? I. Pol literis nihil vnquam magis odiosũ mihi visum est. P. Quid ita? I. Vt enim opulento homini seruitus dura est, & ita delicato corpori odiosa scholaris disciplina. P. Odiosa? I. Odi ædepol. P. Quod eius rei feciſti periculum? I. Ex alijs hercle periculum feci, aque iis potissimũ qui in prædotribarum carceribus & moletrinis, aliquandiu fueri relicti, P. Illic ne miseriarũ aliquid esse dicunt? I. Quin ipsã esse miseriam dicunt. P. Ain. vero? I. Aio enim vero. P. Quid causæ est? I. Aiunt mollicella corpuscula, noctes & dies flagris illic contundi, cruscula ipsa pedum tenus detunicari. P. Aiuntne esse vllum veniæ locum? I. Nullum hercle, sed vndantis sanguinis riuos vbertim elici dicunt, ipsosque interdum non prius eiulantes relinqui, quam spiritum pene emiserint. P. Istud, probe in dolis adolescentibus fieri non dicunt. I. Nullũ sane discrimen afferunt, eadem est præceptorũ in omnes toruitas, idem furor, eadem violentia. P. Erras si credis, fili. I. Aedepol, & credo pater. P. Hoccine credibile est, quenquã esse tantæ feritatis ludimagistrũ, qui infantulos ad mortem vsque verberet? I. Credibile non putasse pater, nisi nuper vnum plagis pessime confectũ, protinus inhumari vidisse. P. Morbo fortasse laborarat, & ægritudine succubuerat. I. Nullum medius fidius morbi cõtagiũ sen-

ſenſerat. P. Quonam igitur modo perijſſe dicunt I. Dicunt a leoninæ toruitatis ſanguinario præceptore, flagris primo cruentatum, demum pedibus miſere turbulentatum, poſtremo in parietes (dictu horrendum) impetuoſe iaculi more contortum. P. Erras inquam, ſi credis fili. I. Nec erro ædepol, & credo pater. P. Aliter tibi perſuadeas velim. I. Pol non ſi Demoſthenes, & Tullius adfuerint, mihi vnquam perſuaſerit. P. Saltem id patris vel mandato, vel precibus condones. I. Pater quicquid aliud voles impera, mandatus tuis ſtetero: ſed quod ſcholas ingrediar, & ferulæ me ſubmittam non obediam et ſi me pugnis tuis interficias. P. Hei fili. I. Tuus hercle filius: ſed pater non eſſes ſi in eum me compelleres piſtrinum, vbi me minutatim diſcerpendum conſpicias. P. Diſcerpendam conſpicerem, iſtuc nunquam vel me excogitare. I. Miſſa iſtæc faciamus velim Pater, ſiquidem mihi nauſeam excitant. P. Quid igitur aliud feceris, quo tibi Victum quærites? Vis militiam ſequendo Troianorum vel Romanorum numero conſcribi? Iu. Deterius loqueris: nullum officij genus mihi gratum eſt quod plagis & vulneribus ſit obnoxium. Pa. Aliquid agas oportet. Vis inſtar eorum qui latrinas exhauriunt, inhoneſto victitare lucro? Iuue. Tene tui pudet, qui filium eo deprimi velles? Pa. Eo deprimi nolim.

nolim Quoniam tamen ſcriptum eſt, qui non laborat,non mãducet,aliquid agas expedit.I Pater, vis in verba pauca tibi cõterã, quid eſt,quod me titillet maxime?P.Volo I. Votis meis non acqviesces? P.Forſitan.I. Sed dic bona ſide quaſo,acquieſcesP.Si factu iuſtum fuerit quod petiueris I Iuſtum putes factu,& licitum. Pa.Nunc igitur petas. I. Quum ſim forma adeo venuſta liberali vt nihil ſupra vxorem velim ducere.P.Papæ quid audio.I.Hoccine acquieſcendi primordium?P. Hei iuuenẽ delirum I.Neſcio quid facturus ſim,quod ſtomachum tuum delectet. P. Vxorem quæris miſerrime Nigot?Quid aliud eſt,quam iugum & onus appetere. I.Sit onus,eſto: ducam tamen ſi permittas.P.Id meo non fiet conſilio.I.Saltẽ non reluctaberis.P.Nõ reluctabor,ſed ſi ſtultitiæ tuæ te pœniteat,neminẽ præter te vnum arguas.I. Mea Camilla,ſopitine quieſcunt ant qui amores noſtri V.Meus quotidie augeſcit. I, Et meus augmentum ſuſcipit. Iam vt aliquando his, quæ amantes duriter excruciant finem imponamus, ad connubia deſcendamus.V.Perplacet. I hunc ego annulum in amoris perpetui pignus confero.V.Hoc egomet fide xenium tibi præſtõ.Iamiam vt moris eſt presbiterũ adeamus,qui nos in diſſolubili vinculo copulet.V.Adeamus, valete ſpectatores tãtiſper,dum e Templo redierimus P.O perdeliram iuuenum vecordiã.O inopes conſilij animos qui

patribus

parribus iuuitis ad protogamiam, seu primas nup
tias accedunt, miserarum & factionē ignari quas
affert coniugalis Thalamus: laborum expertes,
quos nutriendorum liberorum sumptus expetit:
impendiorū nescij, quæ domestica necessitas exi-
git, hinc vxor oblatrat, hinc incunabulis vagiūt fi-
lij. Hinc aliquanto prouectiores coruornm more
cibum appetunt. Hinc nundinæ maritum ad quæ
stum vocant. Voluit tamen fatuellus meus filius,
dissuadente frustra parente. vxorem ducere pu-
tans lætitiam illam quiæ primo nuptiarum die ti-
tillat perpetuam fore. Verum experietur quod
scripsit Hyponectes duos tantum dies vxoris esse
dulcissimos, nuptiarum videlicet, & mortis. Expe
rietur, inquam verum diem videlicet nuptiarum
multorum malorum initium. Appetitque vt opi-
nor tempus, quo sibi accidisse vellet, quod Eupo-
lidi & vxori cōtigisse asserit Ouidius: quos prima
nuptiarum nocte trina lecti interfectos his asserit
versibus.

Sit tibi coniugij nox prima, nouissima vita,
Epulis hoc periit, & nona nupta modo.

Sed adesse video meum vxorium fatuelium
cum sponsa. Ego igitur hinc tantisper quiescam,
donec videro quo more vna vixerint. I. Vxor
mea. V. Mi marite. I. Quot concharum oscu-
la? V. Quot risus? I. Maritus cum vxore oblecta-
tur. V. Vxor cum marito ridet. I. Vna compotant.

V. Vna comedunt. I. Quis igitur nuptias vituperet? V. Quis Aristoteli non condiscendat in Ethicis scribenti viro politico ducendam esse vxorem non solum liberorum sed victus, & auxilii causa? I. Quis, cum Herocle non fateatur, genus hominum sociale esse coniugium, sine quo neque ciuitas consistere, neque domus perfecta esse potest. V. Pythagoras, Socrates, Crates, etiam, qui tenui supellectile fuere, vt a maioribus meis accepi, vxorem duxerunt: eique cohabitauere, nec impedimento esse philosophiæ putauerunt. I. Quid quæso secundum naturam magis est, quam vxorem ducere? V. Facessant igitur qui nuptias, volut periculosum aliquid respuunt. I. Facessant, qui ducendam non esse vxorem dicunt. V. Sed heus marite, hoc nuptiarum die laute & geniali ter viuimus, quid vero die crastino comedemus? I. Iam quæ futura sunt prospicis? V. Nisi id in rem meam fore conspicerem, quæ futura sunt non contemplarer, Opus est igitur, vt tete operi accingas, quo nostrum vtrique victi quæritis. I. Men discrucitare iam quæritas? V. Quid discruciare: sed nostræ duorum vtilitati consulere velim: propera igitur quidquid feceris. Aliquandiu saltem adhuc requiescere permittasi V. Vin nos inedia consumi? I. Nolim. V. Propera igitur inquam, secus ignauiam tuam mihi non placere periclitaberis. I. Marito molesta esse iam incipis? V. Quid hic

verborum

verborum est: satisne tibi videor oblocuta miserrime? I. Heu voluptas, vt nunquam es perpetua bona. V. Nullum ergo mandatis meis locum relinqueris. Vapula. I. Hei mea vxor, ne tam duriter in me sæuias. quicquid voles, exequar propere. V. Has clitellas humeris superpone, at lignum venale cõpitatim deferas, quo nostrum vtrique victũ quærites. Perge Nigot. I. Quam miseri sunt qui vxoribus suis nubunt, miseri quibus vxores imperant: verũ nunc experiar quod mihi pater prædixerat multas in matrimonio esse Miserias, miserum me, quid agam. Si domum nummis vacuus rediero, fanatica illa muliercula duriter me iugulabit. Heus tu, qui propinquus hic astas, hoc me exoneres ligno, stipemque aliquam mihi conferas, secus hodie postremum me vides. Nunc parta pecunia ad vxorem redeo. Hem vxor, adest diurnum lucrum. V. Id tantum nobis comparasti sceleratissime Nigot? vapula, vapula. I. Pol ego plura non perferam. V. Insurgis in me. Nefarie? Ego tibi sane faciem vnguibus deformabo. I. Hei vxor, sit saltem veniæ locus: nunquam in flagitia reuerti mihi continget. V. Surge igitur. I. Faciam quicquid iusseris. V. Aquam situlis exantlaturus propera. I. Dicto citius pareo. Hei quam miseri sunt, qui vxoribus suis nubunt, vellem primo nuptiarum die me subitanea morte consumptum fuisse. Hei misero mihi quid faciam? redeo vxor, aquam affero. V. Hem, quid

hoc lacrumarum esse? I. Non lugeo. V. Non si sapis Telam hanc ad riuum lauatum propera. I. Nae vxor pareo. V. Propera inquã. I. O Infortunatã maritorum conditionem, vellem me terra absorptum quum mater me peperit. Quid faciã? Quo me vertã, miserũ me, qui hanc mulierculã in vxorem dux erim: redeo vxor, mundam refero. V. Sceleste, cur labeculam hanc non abluisti? Vapula. Tu tantisper dum Rure rediero, domi remane, ac me ibidẽ operire: & caue si pedem commutaueris. I. Ah Pater Pater. P. Ah fili, fili. I. Verum nunc experior, quod esse prædixeras. P. Quid illud? I. Permultas in matrimonio esse miserias. P. Periculum feciſti? I. Plus satis expertus sum. Fanatica vxor mea scapulas flagris mihi mutilauit, neque magis mutire licet, quã si lapideus essem. Suis mandatis parere cogor: vellem me primo nuptiarum die terra fuisse absorptũ P. Tu quoniam consilio meo acquiescere recusasti, perpetere quiquid merito pateris. Nam quod pertuliſti nihil est: longe plura passurus es.

Quod si soli tibi id contingere cogitas, audi turbulentam Socrati zantippen. Audi quibus conuitiis maritum insectetur obtundere.

FINIS.

carmen.

Agricolæ pigris infundite semina campis,
Vt vobis duplex fœnus arista gerat.
Reptile cornigeris inuertite bobus aratrum,
Torpentes itidem vomer hiulcet agros.
Et quum protulerint flauis sua gramina culmi,
Iugera productis tunc spoliare comis
Nec vos mortiferi turbent incendia belli:
Omnia pestifera semina litis eant.
Infernas te Persephones comitatus ad vmbras,
Mars habitat Stigij carceris exilium.
Preteritis bellona iacet viduata triumphis,
Et veteris sceptrum perdidit imperij.
Pax hominum votis quoties quæsita resurgit.
Et capit auricomi solis vtramque domum,
Nec modice patitur scintillam viuere litis,
Quin terras omnes imperiosa tenet.
Dicite Io Iuuenes, redeunt Saturnia regna,
Venit & antiquæ religionis honos.
Ecce hilares suauis tendit Concordia pennas,
Vernaque Cecropiæ crescit oliua deæ.
Claudite Romulidæ Iani modo templa bifrontis,
In media captus langueat ede furor.
Innumerisque etiam vectus post terga cathenis,
Sanguineo rabie percitus ore fremat.
Tu modo Lemniacis requiem concede ministris,
Ferrea cæligenæ qui facis arma Ioui.
Nil opus est missa Parthi post terga sagitta,
Tela nec inflexis arcubus acta iuuant.
Penthisileam nec opus vectare securim,
Quæ leuis Harpalice Thermodoonta secat.
Saxea nil prosunt Balearis verbera fundæ,
Nil quæ Fulminiger proiecit arma Tonans
Nil opus abiectis corpus defendere peltis,

Com

Compressam galea nil oner asse comam.
Nec iuuat aereis componere turribus ignes,
Aut tacitas summis turribus excubias.
Nec tereti fas est portas occludere ferro.
Proditur à tutis vrbibus hostis abest
Dicite Io, Iuuenes, lætum pæana canamus,
Mascula cælitibus ponite thura Deis.
Innocuæ siquidem venerut tempora pacis.
Mortua sopitæ semina litis eunt.
Per vicos celebres, per compita spargite flammas,
Suauidicis nubes tangite carminibus.
Depositoque metu feratas pandite portas,
Exulit á veteri Marspiter imperio.
Neptum bellator, equus concessit oliuæ.
Palladis arma tacent, pax diadema capit.
Pax capit imperium. Mauors discessit ad vmbras,
Deus sit Mauors, pax capit imperium.

DIALOGVS PVERIET.

Præceptoris. Puer.

QVid faciendo vitam æternam possidebo? P. In lege quid scriptum est quomodo legis? Pu. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, ex omni mente tua, & proximum tuũ sicut teipsum. P. Recte indicasti: hoc fac & viues. Pu, In his duobus mandatis, totane lex pendet, & Prophetæ? P. Maxime qui enim diliget Proximum, legem impleuit. Nam illa, Non occides. Non furaberis. Non adulteraberis. Non falsũ testimonium dices. Non concupisces rem proximi tui, & si quod est aliud præceptum in hoc sermone summatim cõprehenditur, Dilige proximum tuum sicut teipsum. P. Nõ potest amor Dei subsistere sine dilectione proximi? P. Nequaquam. P. Cur non? P. Nam qui habuerit substantiam Mundi, & viderit fratrẽ suũ egẽte, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ad hæc dicit Ioannes Euangelista, Si quis dixerit quoniã diligo Deum

& fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt. Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Quia Deum nemo vidit vnquam. Si igitur inquit, esurit inimicus tuus, pasce illum: Si sitit, da illi potum hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius, & dominus reddet tibi. Ideo, hoc præceptum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.

Decem Dei verba siue præcepta.

Mente Deum tota venerare, & semper adora.
Non iures frustra, sanctissima numina diuum.
Hinc careas festis quicquam exercere diebus
Quod petitum est, magno plus affice honore parentes.
Non hominem occides. Nunquam furabere. Malignus
Esse caue testis. Nec non bonus effuge lectum
Concupere alterius, tædas fœdare iugales:
Non modo ne turpis sis lege iuberis adulter,
Sed ne nupta quidem alterius tibi mente petatur.
Cuncta aliena bonus quo sis, cupijsse caueto.

Aduersus Calumniam Hendecasillabi Phaleucij, per Nicholaum Ditrichum.

Doctorum haud lacerare me libellos
Quisquam existimet: at capaciori
Ætati solidos manere norit.
Tantum hic effigiare crassiores
Sub primis pueros studemus annis.
Quam frugem facile è suis libellis.
Excerpi patientur, illa primum
Qui scripsere, igitur rogo proteruos
Dentes Zoile comprimas, licebit
Vt tramite currat promptiori.
Cui serui nequit breuis tabella hæc.
Σπάρταν ἢν ἔλαχος, μεμνήσονος μεῖν.

Ad bonas Litteras Alphabetica adhortacio, per Cor. Crapheum

TRIMETRI.

Age heus puer, bonas capesse litteras.
Bonæ bonum reddent virum te litteræ.
Cunctas opes superant bonæ vndique literæ.
Dij proximum dabunt bonæ te litteræ.

Expers

[illegible]
Famam bonæ pulcherrimam adducunt Litteræ.
Gratia o omnibus, norunt bonas qui Litteras,
Homo absque Litteris, caro est sensu fine.
Iuventa Litteris adest semper virens,
Rebus bonis Litteris abest corruptio.
Lippus, videnſque cæcus est Litteris carens.
Mentem excolunt rudem elegantes Litteræ.
Nihil scit is, nescit bonas qui Litteras,
Odit bonum omne, odit bonas qui Litteras.
Penetrant olympum, atque omnem abyssum Litteræ
Quamcunque commonstrant tibi artem Litteræ.
Rerum omnium scientia est in Litteris,
Si qua hic beatitas, ea est in Litteris,
Tu litteras habes? habeas bona omnia.
Vis esse clarus? nobiles disce Litteras.
Xaini animi quæris, bonas pete Litteras.
Τοῦ σὰ παντὰ bonæ expetendæ Litteræ.
Zwi perennis tibi paratur Litteris.

Ad virtutum studia adhortatio.

QVi messe in tenera frumẽtũ colligit, hercle
Illequidẽ est prudẽs, est probus, est sapiẽs.
At vero totam æstatem qui stertit, hic etiam
Turpiter in famam, ac dedecus omne ruit.
Collige scite puer, dum tempus collige fructus
Virtutum & studiis te dato parue nouis.
Sic honor haud paruus, sic ingens gloria tecum
Semper erit: contra prægrauis vsque pudor.
Nũc tua messis adest, tua nunc tibi voluitur ęstas
Dum rugor est animo, dumque iuuenta vires.

Ad Deum omnipotentem.

Rex Regum benedicte parens, qui trinus & vnus,
Regnas, infirma suppeditare animæ.

FINIS.

C. W. B.

DEVX DIALOGVES

L'VN
DE L'HONNESTE AMOVR

L'AVTRE
DE LA BONNE GRACE.

Par F. B. de VERVILLE.

A PARIS,
Chez GALIOT CORROZET, Libraire au Palais, joignant les Conſultations.

1602.